

1.5.19

Idem A. Demostheni pp.

Cognovimus multos esse orthodoxos liberos, quibus nec pater nec mater orthodoxae sunt religionis, et ideo sancimus, non tantum in casu, ubi alter orthodoxae religionis est, sed etiam in his casibus, in quibus uterque parens alienae sectae sit, id est pater et mater, ii tantummodo liberi ad eorum successionem sive ex testamento sive ab intestato vocentur et donationes seu alias liberalitates ab his accipere possint, qui orthodoxorum venerabili nomine sunt decorati: ceteris liberis eorum, qui non dei omnipotentis amorem, sed paternam vel maternam impiam affectionem secuti sunt, ab omni beneficio repellendis.

1 ¶ Liberis autem orthodoxis non existentibus ad agnationem vel cognitionem eorum, orthodoxas tamen, easdem res vel successiones pervenire.

2 ¶ Quod si nec agnatio nec cognatio recta inveniatur, tunc easdem res fisci nostri viribus vindicari.

3 (1) ¶ Sed ne videamur morientibus quidem genitoribus liberis providere, viventibus autem nullam inferre presentiam, quod etiam ex facto nobis cognitum est, necessitatem imponimus talibus genitoribus orthodoxos liberos secundum sui patrimonii quantitatem alere et omnia eis praestare, quae ad quotidianam vitae conversationem sufficient: sed et dotes pro filiabus vel neptibus dare et ante nuptias donationes pro filiis vel nepotibus perscribere, in omni casu secundum vires patrimonii huiusmodi liberalitatibus aestimandis, ne propter divini amoris electionem paterna vel materna fuerint liberi provisione defraudati.

4 ¶ Omnibus videlicet, quae nostrae constitutiones de poenis paganorum et Manichaeorum et Borboritarum et Samaritarum et Montanistarum et Tascodrogorum et Ophitarum ceterorumque haereticorum causa constituerunt, ex hac nostra lege confirmandis et in perpetuum valiturs.

[a. 529]